



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Nicolavs Ep. 6. Decembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

668      *Vita Sanctorum.*      6.DEC.  
alino custodem ducemque ad pascua  
fuisse tamdiu, quoad Agaso luxurie  
foedâ se contaminavit, tunc enim de-  
vorasse asinum. Ipsum SABAM, cum  
ad Anastasium Imp. hæreticum iret,  
anteambulonem habuisse Angelum,  
verbis impium liberis castigasse, mor-  
temque ei imminentem multò antè  
prævidisse. Sed & Iustinianum itidem  
Imperatorem palam coronam cœlo  
vidisse descendere & caput SABÆ am-  
bire, qui tamen exorari non potuit, ut  
heredem Imperatori apud DEVM im-  
petraret, quod hunc hæreticorum par-  
tibus accessurum sciret. Denique in  
cœlum abiisse anno D. XXXI. inter  
DD. Martyrū comitatus. *Ex Metaphr.*

S. NICOLAVS EP. 6. Decembri.

**M**ores cum lacte ab infantia imbi-  
bi NICOLAVS probat, qui cum  
a primis cunabulis diebus Mercurii &  
Veneris semel in die, idque noctu tan-  
tum, maternum lac admisisset, eam  
consuetudinem jejunii per omnem de-  
inde vitam sacrosanctam habuit. Ado-  
lescens divitias omnes in pauperes di-  
lapidavit, ad hoc ingenio etiam, ne  
gloriolam mercaretur, usus; uti tum  
fecit, cum tribus puellis, quas noverca  
paupertas profittuere parabat, dotem  
trinis noctibus furtim per fenestras  
immisit. Subinde cum pictatis causâ  
ter

terram C H R I S T I vestigiis nobilem peteret, iratum mare quieti, nautam extinctum vitæ reddidit. Post ex eremo ad homines divinâ voce evocatus, & divino item indicio Pontifex creatus Myræ, pro libertate Catholicâ fortiter carcerem & vincula tulit. Pro salute suorum sollicitus, etiam cum longissimè abesset, adsuit tamen. Ita Imperatori quandoque Constantino conspectus jussit sententiam revocare, quam in tergeminos Tribunos innocentibus tulerauit. Ita institorem in somnis monuit, frumentum, quod haberet, in urbem suam, quam fames vexabat, conveheret. Alias vocatus à navigantibus, sapientius opem tulisse visus est. Quid? quod animum N I C O L A I tumulus ejus est imitatus, oleum miseris propinans. Tumulatus vero memoratur circa annum CCCXXVI. cum moriturus Angelos obvios habuisset, etiam nobis occursum, si rectam viam insistamus.

*Ex Iustinia. & Brev. Rom.*

S. P A V L V S C. 7. Decembri.

PAVLVM parentes dixerunt addidit deinde virtus *Obsequitus* cognomē, quod ille nec cum Alexandris aut Scipionibus nunc commutabit. Quid? quod cœnobio ipsi, quod habitabat, nomen miraculis ingens peperit? Nam illud quantum obedientiæ sive exem-

V u 3      plumb